

et suspensas esse, ac interim nullo modo publicari seu effectum sortiri aut locum sibi vindicare nec alicui suffragari debere, ac indulgentias confraternitati Redemptionis Captivorum concessas huiusmodi ullo unquam futuro tempore per commissarios seu alios quoscunque extra dictam civitatem Neapolitanam publicari nullatenus posse, necnon quidquid secus contigerit attentari irritum et inane decernimus et declaramus, ac eisdem confratribus et quibusvis personis pro confraternitatibus, monasteriis, ecclesiis, hospitalibus et locis praedictis nunc et pro tempore deputatis, sub nostrae indignationis, necnon excommunicationis latae sententiae eo ipso per contrafacientes incurrendis poenis, ne durante dicto tempore de huiusmodi indulgentiis, concessionibus, gratiis, indultis ac facultatibus ac quaestis se intromittere quaquo modo audeant seu praesumant, districtius inhibemus, non obstantibus praemissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem ut praesentium transumptis manu notarii ipsius fabricae subscriptis et sigillo collegii dictae fabricae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae eisdem originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud s. Petrum sub anulo piscatoris die xxv ianuarii MDLII pontificatus nostri anno secundo.

S. Cervinus.

A. della Torre. [Ms. cit. p. 147 ss].

3. Breve confirmationis abdicationis quaestarum S. Antonii de Sancto Antonio Viennensi in favorem fabricae basilicae principis apostolorum de Urbe. Inc.: Regimini militantis ecclesiae...

Dat. Romae 1553, Dec. 15. (Ms. cit. p. 147 ss.)

4. Breve S. D. N. D. Iulii divina providentia papae III confirmationis indulgentiarum, privilegiorum, gratiarum et aliarum facultatum in favorem fabricae basilicae principis apostolorum de Urbe. Inc.: Cupientes ea...

Dat. ut s. (Ms. cit. 151 ss.)

5. Breve Iulii III revocatorium omnium et singularum quaestarum et commissariorum in favorem fabricae basilicae principis apostolorum de Urbe. Inc.: Si in universa christifidelium templa...

Dat. Romae 1553, Dec. 12. (Ms. cit. p. 154 ss.)

6. Breve S. D. N. D. Iulii divina providentia papae III confirmatorium revocationis quaestarum et indulgentiarum quarumcunque, cum mandato ordinariis, ut non permittant aliquas quaestas exerceri nec indulgentias publicari, nisi prius per suas litteras earum copiam R. P. D. deputatis fabricae transmiserint et ab eis responsum, cui omnino parere teneantur, habuerint. Inc.: Decet Rom. Pontificem...

Dat. Romae 1554, Apr. 6. (Ms. cit. p. 162 ss.)

7. Motuproprio « Cum nos » contenente « Suspendio indulgentiarum durante quadragesima in favorem fabricae ».

Dat. Romae VIII Cal. febr. aº secundo (25 gennaio 1552). (Ms. cit. p. 174<sup>b</sup> ss.)